



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXXIV. Ignatij charitas erga vnum è sociis ægrotum, & erga vacillantem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

dicato quaesita, panis aliquot frustra, potum frigida praebat; ad haec multarum horarum precatio, voluntarias autem poenas metiebatur cuique feruor suus. Ignatium quod spectat, Manresam suam Vincentiae reperit, visorum illic coelestium frequentia eadem, animi deliciae pares; lacrymarum par suauitas, & vbertas; quibus cepti exinde oculi grauius affici in reliquam vitam male habuerunt. Ex hac dierum quadraginta solitudine progressi, vt quod in ea de caelo hauserant in alios spargerent, in diuersas vrbes operam diuidunt, nec opus fuit praesare templa, & pulpita, vtrumque forum, & compita supplebant: illuc e scamno, saxove fortuito, sparsam longius plebem aduocabant, currebatur ad signum agitati galeri vocisque inuitantium, velut ad planipedes, & circumforaneos ludiones, audiebantur Italicè omnino perperam dicentes, sed ea vi spiritus inflammati, vt qui visus, & iocos captaturi venerant, suspiria & lacrymas referrent: cum enim prodirent ad poenitentiam suadendam, quod vnum erat illis propositum, pallore, ac macie totoque aspectu, exemplum edebant eorum quae dicerent, credebanturque tunc ex deserto adesse. Concione dimissa, in sua tuguria redibant. In iis cum degerent periculosè quidam aegrotarunt, tolerantiae exantlata fructu minime poenitendo, in iis sortem benignam Simon Rodericius inuenit, hunc Iasio comite, sanctus Senex Antonius nomine, diuino instinctu, sua heremo secum admiserat, certus alioqui omni consortio carere, quod iam aliquos habuisset, sui primum conuictus & asperitatis cupidus tyrones, mox impatientes atque desertores. His tamen duobus in cellae angulo tabulam dederat ad nocturnam quietem, quod humi cubare solitis non nihil commodi afferebat: de nocte surgebant ad orationem, & psalmodiorum cantum, & ieiunia caeterosque labores cum eo pariter obibant.

Inter haec itaque Septembri Simon grauius aegrotans poene ad extrema deductus est, vt accitus ad illum ab heremita medicus eius desperauerit salutem: rei certior factus Ignatius, Vincentia cum Fabro (nam iacebat in nosocomio Lainius) Bassanum aduolat. Quantos autem illi animos daret suorum charitas, cum aliàs semper, tum verò hinc egregie patuit, etsi enim ex febre adhuc infirmior, gressu tam celeri properabat, vt Faber valens, & robustus aegre sequeretur, expectarique illum identidem à subsistente Ignatio oporteret; charitatis magnae haud absimili documento, ab eo quo Lainium olim fuerat persecutus, repentina enim correptum Febre dum vna iter agunt, quaesito iumento imposuit, & detractis sibi operuit vestibus, & laborantis immemor tibiae, equitanti tam citus prauiuit, vt equum vrgeret, Lainius ne ab eo longius remaneret. Quas autem interposuisse in expectando Fabro moras illum dixi, colligenda in Deum mente occupabat, precibusque ad illum pro aegroti salute ardentibus, quorum ipsemet vim praesensit, Fabro enim, cui expectando substiterat accedenti, vultu quali solebat orans, incenso velut coelitus edixit Simonem hauquaquam moriturum. Neque vitam solum, sed valetudinem magna ex parte iacenti contulit, primo enim affatu, caroque complexu salutantis non modo esse de vita iussus est

XXXIV.

Ignatij charitas erga vnum e sociis aegrotum, & erga vacillan-tem.

est securus; verum etiam sic corroboratus, ut morbo exinde sensum decedente conualescere cœperit, tabulas quoque in quibus iacebat lectulo mutavit pia heremita diligentia ad hoc usus. At receptum ex morte socium nihil propius abfuit quam ut amitteret; vel hunc ipsum ut habet vetus suspicio, vel eius socium; fallaci specie delusa virtutis ab se sibi abstrahendum. Horum enim alter privati secessus illectus dulcedine, cum Ignatii cursationibus, heremita tranquillum; solitudinis otia, cum necessaria inter homines dissipatione; vitam vni Deo sibi que attentam cum sollicitudine salutis alienae conferre, libratique, quas expertus probat æqua lance ambabus, statuere, laborum sumptus cum Ignatio haud paulo minoris æstimandos, quam lucra meritorum; cum heremita è contrario minus inesse periculi, plus sanctæ quietis, cum præsertim quem non ita pridem videbatur cursum ingressus Ignatius, illius iam metam raderet heremita; ad hunc igitur promior fieri, ab illo retrahi, ac prope resilire; sed enim deuota promisso fides; sed nuncupatum Deo votum; sed præstantium exempla sociorum qui sanctitatis absolutæ numeros omnes, & apprimè norant, & vno illius ambitu agebantur; hæc, inquam, homini lancem alteram deprimebant. Sic anceps, inopsque consilij, decreuit denique totum heremita se credere; quod is author fuisset, id se pro diuino habiturum, Bassano itaque ab sociis, cum quibus illuc Ignatius tunc erat clam sese subducens, ad S. Viti heremitam adibat. Verum Societatis etiam tum informis auctor Deus, informandæque in posterum educator intelligi voluit, displicere sibi quos ad procurandam aliorum salutem cum Ignatio vocasset, auaro solitariae quietis studio eam deserere, abeunti viam monstro interclusit, quo perterrefactus, retròque compulsus, palam in brachia relictæ perperam magistri cursu se retulit. Vix enim Bassano exierat cum simulachrum hominis armati obuium habuit feroci vultu aspectu terribili & stricto gladio minantis: hæsit aliquamdiu turbatus, & territus, sibi tamen vim fecit incertus quid hoc portenderet, iræque ulterius tentauit; at ille acerbè irato, inuadentique similis gladium vibrare; hic præcipitare Bassanum versus, & sociorum hospitium, stupentibus omnibus fugientem, cum terroris causam, & insequentem viderent neminem, Ignatius diuino monitu prædoctus socio infideli prodierat obuiam, passisque in illum brachiis, velut hunc sibi asfereret denuo Christi verbis Petrum admonentis, subridens excepit *modice fidei quare dubitasti*

XXXV.
Solitarius
Ignatium
parui pendens
à Deo corrigitur.

Fuit aliud quoque Ignatio cum heremita Bassanensi. Erat is quidem verè sanctus, & iuvat hîc eius honorificè meminisse, tum ob illius in Simonem religiosam beneficentiam, tum ob ea quæ ipsi cum Ignatio contigerunt. Mira quædam de illo narrabant indigenæ, iisque finitimi, prolixa præcipuè orandi spatia, & tolerantiam, vltro neis ærumnis contritam, quas esse aiebat solitudinis adipem. Vel ipsa ut cœteri sileant illius effata abunde illum deprædicent, utpote ex illius usu, morumque regulis deprompta. Ex iis aliqua ex Gaspare Gropellio habemus eius quondam discipulo, dein Societatis,